



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Prima conclusio statuitur, & duplici Scripturæ testimonio firmatur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

omni dominio abdicato, verbo & exemplo docuisse, subdit: Nec his quicquam putet obijcere, quod interdum dicitur Christus loculos habuisse: Nam sic Christus Iesus, cuius perfecta sunt opera, in suis actionibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectorum extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaverit, sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis &c. Contra vero Joannes in Extravaganti cum inter nonnullos, non definit, Christum nunquam talem paupertatem verbo aut exemplo docuisse, sed solum ut hæreticum declarat, Christum ejusque Apostolos, non habuisse aliqua, saltem in communi. Fieri autem potuit ut Christus habuerit aliqua, vel in communi, vel in particulari, & nihilominus ad commendationem perfectæ paupertatis, interdum omne dominium earum rerum, quas licite habere poterat, à se abdicaverit, juxta illud Matth. 8. & Lucæ 9. Pulpes foveas habebant, & volucres colli midos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

33. Ad Joannem XXII, respondetur, illum quidem fuisse valde propensum in sententiam alloquentem animas non visuras Deum ante resurrectionem generalem, eamque persuadere statuisse, non tamen ut Pontificem deservivisse, sed ut ait Benedictus X. in Extravaganti quæ incipit Benedictus Deus, speciali providentiâ raptum fuisse, antequam aliquid definiret.

34. Ad Joannem Villano lib. 11. histor. c. 19. Joannem Papam pridie ante mortem significasse, existimare se jam probabiliorem sententiam esse eam quæ asserit beatos frui visione divinâ, etiam ante diem judicii; & hanc sententiam se amplecti, nisi aliquando aliud Ecclesia definierit, cujus definitioni suas omnes sententias libentissimè subjiceret, Quæ retractatio aperte docet, hujus Pontificis mentem semper bonâ & Catholicâ fuisse. Idque confirmari potest ex Andræ Duvallo in Tractatu de Infalibilitate Summi Pontificis, ubi aliud refert, quod ad hujus Pontificis famam & honorem non parum confert: nimirum omnes Doctores Theologos Facultatis Parisiensis, coram Rege Philippo Valesio, eum ab omni hæreseos & erroris suspitione vindicasse agentes se accepisse à fide dignis, totum quod à Summo Pontifice de beatitudine Sanctorum dictum fuerat, non fuisse assertivè dictum. Quod testimonium instrumento publico munierunt anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo tertio, ut constat ex autographo, quod ad nostram usque ætatem asservant Fratres Prædicatores in Conventu S. Jacobi, & integrum refert Dominus Coiffeteau, Massiliensis Episcopus, paginâ 1040. & 1041. suæ responsionis ad Mysterium iniquitatis, illudque se manibus tractasse ait Gamacheus Doctor Sorbonicus I. 2. qu. 4.

ARTICULUS II.

An soli Petro primatus, seu supremum totius Ecclesiæ regimen concessum fuerit, subindeque Paulus æqualem potestatem cum illo non habuerit?

DUas movemus hic celebres controversias, unam contra hujus temporis hæreticos, negantes soli Petro primatum seu supremam potestatem gubernandi Ecclesiam à Christo concessam esse, quam propterea negant esse Monarchiam,

sed vel Democraticam penes multitudinem, ut Illyricus, vel Aristocraticam penes cœtum seniorum, ut Calvinus, aut penes Principes seculares, ut Brennius, & hæretici Angli, quos art. præcedenti confutavimus. Illis favet Vigorius Junis, consultus, in sua responsione Synodali Concilii Basileensis, ubi docet claves collatas esse non personæ Petri seorsim à cæteris Apostolis sumptæ, sed conjunctim, seu nomine Ecclesiæ, quam ipse figurabat & representabat. Sicut (inquit) licet Genes. 2. Deus dicatur inspirasse in faciem hominis spiraculum vitæ, nihilominus totum corpus vivificum fuit, & anima totum corpus occupavit. Ita cum dixit Petro, Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, hoc convenit toti Ecclesiæ. Altera controversia est adversus Recentiores aliquem, Doctorem Sorbonicum, qui non multis ab hinc annis librum Gallico idiomate edidit, in quo asserit, æqualem D. Petro, D. Paulum potestatem & auctoritatem in Ecclesia habuisse, & utrumque non contuere quidem duo capita, ne Ecclesia esset biceps, quod esset monstro simile, sed utrumque contuere unum caput Ecclesiæ, & unum Pontificem, Quæ sententia ab Innocentio X. anno 1647. damnata est, & contra illam scripserunt P. Nicolai in Rainerio, titulo de Dominio, Diana speciali Tractatu de auctoritate solius Petri, Augustinus de Bellis, & novissimè P. Dominicus à S. Trinitate Carmelita discalceatus, tomo 3. suæ Bibliothecæ Theologicæ.

S. I.

Prima conclusio statuitur, & duplici Scriptura testimonio firmatur.

Dico primò, soli singulari personæ Petri à Christo fuisse concessum primatum, & supremam potestatem regendi universalem Ecclesiam, non verò aliis Apostolis.

Conclusio est certa de fide, probaturque ex Evangelii locis duobus illustissimis, in quorum uno Christus claves (id est supremam in Ecclesia potestatem) Petro promittit, in altero verò ipsa confert. Primum habetur Matthæi 16. ubi Christus sic Petrum alloquitur: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi hæc. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam. & tibi dabo claves regni cælorum &c.* Ubi (ut rectè observat Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus, & Pontificiæ autoritatis defensor acerrimus, duo extant metaphorica nomina; *Petra & clavis*, quæ supremam in personæ Petri potestatem aptissime significant; quod enim in ædificio est petra, seu fundamentum, hoc in corpore est caput, in civitate gubernator, Rex in regno, paterfamilias in domo, & nauta in navî: sicut enim petra fundamentum totum nectitur ædificium sic civitas, regnum, domus, & navis, gubernatore, Rege, patre, & nauclero stat, nititurque. Similiter communis consuetudo est, quod cum urbes dedantur alicui Principi, offeruntur ei claves in signum subjectionis; & claves domus solent tradi ei qui æconomus instituitur. Unde de Christo dicitur Matæ 22. *Dabo claves super humerum ejus.* & Apoc. 3. *Qui habet clavem David ut supra ejus potestas in Ecclesia significetur.*

Christum verò his verbis singulariter alloqui Petrum inter alios Apostolos præfentes, manifestum

excellentis amoris, his verbis: *Simon Ioannis dilecti me plus his? Pisce agnos meos, pisce oves meas.* Ubi manifestum est primo, verba hæc non alteri quam Petro dicta esse, cum proprio ipsius & patris etiam nomine singulariter eum designet, & ter ipsum interroget, ut trinx negotiationi responderet ejus trina confessio; ipsumque distinguat ab omnibus aliis; *Simon Ioannis dilecti me plus his?* Id est plusquam hi socii tui Apostoli. Secundo evidens est, quod Christus his verbis specialem prerogativam confert D. Petro, à priori beneficio missionis, communi omnibus Apostolis, distinctam; id enim aperte colligitur ex eo quod Christus, antequam Petro munus illud pascendi oves suas & agnos generatim committeret, ter illum interrogavit, num plus quam alii diligeret? Nam ut rectè notarunt Chrysostomus & Theophilactus in locum illum Joannis, & Bernardus serm. 75. in Cantica, non erat causa, cur ab illo majorem dilectionem requireret ad beneficium commune omnibus Apostolis, & missionem jam omnibus mandatam; sed nimirum idcirco plus amoris ab illo requisivit, quia rem charissimam, nempe Ecclesiam, pro qua sanguinem fudit, illi pascendam & regendam commendabat. Tertio ex verbis illis manifestè colligitur, Christum universalem Ecclesiam curam Petro commisisse: indefinitè quippe de ovibus suis, non autem de his aut illis loquutus est, & agnos primo, deinde oves illi commendavit: per agnos autem populus, per oves verò Pastores significantur, & Patres populi. Unde Eusebius Emisenus: *Primo agnos, deinde oves Petro commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pasce igitur Petrus agnos, pasce & oves. Pasce filios, pasce & matres. Regit & subditos, & Prelatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves, in Ecclesia nihil est.*

Serm.
de nativ.
v. 8.
Ioannis.

Simili discursu utitur D. Bernardus lib. 2. de Consider. cap. 8. ad primatum Petri & Romani Pontificis supra universalem Ecclesiam demonstrandum: *Tu es (inquit Eugenio Papæ) cui claves tradite, tui oves credite sunt. Sunt quidem & alii cæli janitores & gregum pastores, sed tu tantò gloriosius, quando & differentius præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modò ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem queris? ex verbo Domini. Cui enim non Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute & indiscrète tota commissa sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius aut illius populi, civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

44. Aliud primatûs D. Petri argumentum ibidem desumit, ex eo quod solus Petrus cum Christo ambulavit super aquas, & cæteris Discipulis navigio venientibus ad Christum stantem in litore, Petrus se misit in mare, & natando pervenit ad eum. Accipe (inquit) aliud quod prerogativam confirmat tibi (alloquitur eundem Eugenium Summum Pontificem, & Petri successorem) Discipuli navigabant, & Dominus apparebat in litore, quodque succubitus erat in corpore divino. Sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, alii navigio pervenientibus. Quid istud? Nempe signum singularis Pontificis Petri, per

A quod non navem unam, ut cæteri quique suam, sed scutum ipsum suscepit gubernandum. Mare enim scutum est: naves, Ecclesia. Inde est quod alter à vicemstar Domini gradiens super aquas, unicuique Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quisque cæterorum habeat suam, tibi una commissæ est grandissima navis facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia, toto orbe diffusa.

S. II.

Ratio fundamentalis nostræ conclusionis exponitur.

B Ratio fundamentalis nostræ conclusionis potest breviter proponi. Si supremum Ecclesiæ regimen, non soli Petro, sed aliis etiam Apostolis à Christo concessum esset; tale regimen non esset Monarchicum, sed Aristocraticum. At hoc dici nequit. Ergo nec illud, Sequela Majoris patet, in eo enim distinguitur regimen Monarchicum ab Aristocratico, quod in Monarchia unus solus regit & imperat, in Aristocratiâ verò plures, scilicet optimates, dominantur. Minor verò, quam negant hæretici, multipliciter ostenditur. Primo ex Scriptura; Ecclesia enim in sacris litteris per ea quæ statum habent Monarchicum solet designari: Daniel. 2. comparatur regno: Cantic. 4. exercitui ordinari; Cantic. 7. corpori humano: 1. ad Timotheum 3. domui: 1. Petri 3. navi; & Joan. 20. ovili; quæ omnia ab uno supremo moderatore gubernantur. Neque valet si respondeas, Ecclesiam his meritis comparari, quod Regem unum & caput à quo regitur, scilicet Christum, agnoscat. Cum enim Ecclesia sit unum corpus visibile, præter Christum à quo invisibiliter regitur, requirit visibilem aliquem & manifestum pastorem, qui eam visibiliter regat & moderetur. Unde vigesimus septimus error Wiclefii in Concilio Constantiensi damnatus, hic fuit: *Non est scintilla apparentia, quod oportet esse unum caput in spiritualibus, regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conversetur & conservetur.*

Secundo probatur eadem Minor: Christus Ecclesiæ in nova lege non negavit, quod Synagoga in veteri concessit: At Synagoga quancumque perstitit, per unum supremum Sacerdotem Monarchicè gubernata est, ut constat Deuteronom. 7. Ergo pariter Ecclesia in nova lege sub uno supremo pastore Monarchicè gubernari debet.

Probatur tertio: Ecclesia militans à pocal. 21. instat triumphantis Ecclesiæ est instituta, tanquam quædam ejus imago: At in Ecclesia triumphantè, præter Deum & Christum, præbent primus Angelus, à quo cæteri illuminantur & perficiuntur; Ergo & in militante, præter Deum & Christum, aliquis Monarcha à quo regatur admittendus est.

Quarto sic arguo: Nulli dubium est quin Christus optimus ac perfectissimus suæ Ecclesiæ regimen instituerit: At hoc est Monarchicum, ut docet Aristoteles 8. Ethic. cap. 10. & lumine naturæ cuique exploratum est. Primo ratione ordinis, qui perfectè tunc elucet, cum solus ille cui cura omnium incumbit, præest, reliqui verò subsunt; quam cum vel omnes præstant, & nullus subijcitur, ut in Democratia; vel cum multi, nempe optimates, dominantur, ut in Aristocratiâ; licet